

1978

L

1823

17. De. U. a. 11

Libb. med. 4. fo
~~24.~~ 16. V.

2

3

aa 21

THESES
 DE CALIDO IN-
 NATO ET SPIRI-
 TIBVS.

Quæ sacro iuuante numine in Illustri A-
 cademia IVLIA disputa-
 buntur:

Præside
 IOHANNE VVERNERO Med. Doctore

Respondente
 THOBIA COBERO.

Anno à Christiparæ virginis partu c15. 15.
 xc. viii. Calend. Augusti.




HELMSTADII
 Excudebat Iacobus Lucius. Anno
 M. D. XC.

AK



AMPLISSIMIS CONSVLTISSIMIS
ET PRVDENTISSIMIS VIRIS DOMINIS CON-
sulibus & toti ordini Senatorio inclytæ Rei-
publicæ LEOBERGENSIS Dominis
suis honorandis.

S. P. D.

 *oties, prudentissimi viri corporis humani ad stuporem usq; admiranda structura, diuersissimarū actionum, facultatum, instrumentorum deniq; consideratio, mentem meam subiit: toties quam in re satis illam ob oculos positam, delineare possem, omnibus mihi neruis, inuigilandum duxi. Cuius quidem mei me voti, sum demum compotem factum esse putavi: si optimè constituta Reipub. alicuius viscera penitus introspexissem. Videbam n. ibi in fastigio rerum gerendarum collocatos viros principes: qui rebus, consilio & prudentia commodè moderandis alacriter incumbabant. Animaduvertebam virili fortissimorum ciuium robore eandem Rempub. aduersus insultus varios munari & defendi. Quinetiam à subditis quibusdam plebeia sortis hominibus, sub patrocinio robustiorum, consilio vero sapientiorum eleganter disponi ac ritè omnia collocari cernebam. Nunc verò, Prudentissimi viri, si mecum paulisper serijs supersedentes, exporrectà fronte, hanc harmoniam suauissimam intuebimini: nonne spiritui animali qui totum corpus per neruos commodissimè regit, ducit, moderatur, gubernatores Reipub. alicuius correspondere asseuerabitis? Inde digressi, cum robur vitalis spiritus paulò diligentius ponderaueritis: nonne eam phalangi confertissima fortissimorum ciuium maximè adequari posse decernetis? Tandem cum naturalis spiritus in munijs suis obeundis promptitudinem consideraueritis: nonne opificibus, agricolisq; maximè necessaria Rebuspub. suppeditantibus vel maximè assimilari posse statuetis*

statuetis? Quæ cum ita sint, viri consultissimi, dubitandum minimè est: totam ferè totius corporis dignitatem pessum ituram: si vel unus ex his limites proprios transilierit, vel etiam defecerit: quo quidem pacto & Rempub. funditus ruituram esse, existimandum est: si aut ciues in patres patriæ insurrexerint: aut agricolæ ad vitam necessaria dene- garint: aut durius aliquid in ciues ipsi primates admiserint. Circa quæ damna præcauenda, & ab aris & focis amouenda cum vos consultissi- mos viros summâ prudentiâ & sapientiâ desudare sciam: sæpius illud ad meam promptitudinẽ vobis declarandam re aliqua delineare volui. Illud tamen commodius fieri potuisse non arbitror: quàm harum de CA- LIDO INNATO & SPIRITIBVS positionum (licet perexigu- um munusculum meritò censeri debeat) oblatione. Serena igitur fronte, prudentissimi viri, hæc, si non sub acutissimo respondente, sub doctissimi tamẽ præsidis patrocinio in vulgus emissa themata, suscipite: meq; nihil, quod ad vestros honores ad augendos, defendendosq; perti- nere videbitur omissurum esse firmiter credite.

Quod restat, me vobis & Reipub. vestræ, quæ tot clarissimos viros nobis progenuit, fouit, aluit, tandem in palestram Medicam summâ cum laude produxit, totum trado: & in vos ampliss. viros, Spiritus Sancti redundandem gratiam (sicuti & hæctenus) largiter deriuari vehemẽ- ter opto. Valete. Ex Academia IVLIA quæ est Helmstadij 12. Calend. Augusti Anno 1590.

V. E. & P.

addictissimus

Tobias Coberus Gorlicensis.

Thef. I.



Temperamentis ad calidi innati & spirituum doctrinam expeditus, promptusque est transitus.

II.

Calidum innatum ἀρχήγονον seu ἐμφύλιον θερμὸν Græcis est dictum, quod in ipso animantium ortu præstò sit, cum sex dierum genituræ prius quam aliqua ossis, venæ, arteriæ, cartilaginis seu ligamenti in foetu natura formetur, infit.

III.

Est calidum innatum corpus primogenium, aëreum, spiritu calorifico è semine & sanguine menstruo resultante, perfusum.

IIII.

Propinqua quare eius materia est semen & sanguis menstruo.

V.

Formam eius temperamentum cum medicis, medicè statuimus.

VI.

Causæ efficientes conseruantes sunt vel internæ vel externæ.

VII.

Internæ sunt spiritus, partim è corde per arterias, partim ex epate per venas effluentes.

VIII.

Externæ, sunt sex istæ res non naturales dictæ, commodè adhibitæ.

IX.

Hoc ipsum calidum, animal ab initio format & fingit: hoc ad iustam id magnitudinem perducit: hoc ad finem vitæ sustentat ac alit: omnium quippe actionum naturalium causa existit, vt facultas nos gubernans iure dici possit.

X.

Recipiens huius subiectum: humidum illud primigenium est, radicale vulgò dictum. Hinc

XI.

Hinc hæc notio efflorescit : cum calidum innatum è semine & sanguine menstruo, suum trahat ortum, sequitur, quo animans ortui sit vicinius, eò quoque esse calidius.

XII.

Hinc vicissim hoc deducitur : iam primùm progenitorum calorem, copiosorem, magis halituosum, tangenti blandiorem meritò videri: ætate verò prouectorum, acriorem, sicciorem ac minus suauem, humidiorum siquidem effluuia maiora sunt, sicciorem minora.

XIII.

Hinc vt ad nobilissimam ita antiquissimam quæstionem hoc responsi damus : infantium ac ætate florentium calorem neutrum altero, absolutè loquendo, esse maiorem.

XIIII.

Sunt porrò spiritus tres numero: Naturalis, Vitalis, & Animalis.

XV.

Spiritus naturalis, cum & vitalis & animalis veluti alimentum fit, primas meritò sibi vendicat.

XVI.

Est verò naturalis spiritus exhalatio quædam vaporosa, quæ è semine & sanguine menstruo primùm profluit: post in epate ac venis potissimum consistit, hincque spiritui vitali & animali pabulum suggerit.

XVII.

Cum calidum natiuum vitæ quasi fomes sit, naturalis spiritus, neququam ab eo distinctus, ad eius constitutionem, per necessarium censendus erit.

XVIII.

Hic duplex est, fixus & influens: Fixus est qui è semine & sanguine menstruo profluens singulis corporis membris insidet. Influens

fluens qui ab epate veluti naturalis facultatis vehiculum vnà cum sanguine in singulas corporis partes transit.

XIX.

Quanta huius portio per uenam cauam sanguinis substerniculo ad cor vehitur: ea caloris vi perfectius elaboratur, attenuataq; aërea redditur: hinc eadē è dextro eius sinu, per aditus arctissimos ad sinum sinistrum progreditur, vbi puriore per pulmones aëre imbibito, vitalis spiritus, per arterias in totum corpus fundendus efficitur.

XX.

Est ergo vitalis spiritus exhalatio quædam aërea in sinistri cordis ventriculo è sanguine attenuato ac puriore aëre inspirato generata, vitali ministrans facultati.

XXI.

Huius vicissim portio per ceruicis arterias, ad cerebrum trahitur, ac reticulari illo plexu irrigata mitigatur: hincq; in cerebri ventriculos, per contextum choroidem deducitur, vbi aëre per nares attracto, animalis spiritus gignitur.

XXII.

Hinc eum ita finimus: Animalis spiritus est benigni sanguinis, purissimique aëris, purissima exhalatio, in cerebri ventriculis ac reticulari eius plexu, è spiritu vitali ab aëre pertenui, procreata, ad sensum & motum voluntarium formandum, per nervos vehenda.

Αρωρία.

An sectionis primæ Αρωρισμὸς 14.

*τὰ ἀυξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἐμφυτὸν θερμὸν veritati consentaneus sit.
& si sit, quomodo positus minimè dissentaneus videri possit.*

AD ERVDITVM DN. TOBIAM
Coberum, amicum.

Verus honos durat, genuit quem propria virtus
Sed citò, quem peperit laus aliena, perit.
Quam Musæ pariunt dici laus vera meretur,
Hæc quoq; post obitum nobile nomen habes.
Hanc COBERE tibi quæris, dum scripta GALENI
Pergamei, Coij, Rondeletique legis:
Pellere sic morbos disces, pestesq; febesq;
Quomodo & ægrotis sit reparanda salus.
Sic sequeris celebris vestigia rara parentis,
Reddere qui potuit secula longa viris.
Sic eris & patriæ gratus, gratusq; propinquis,
Viuet & æternum nomen in orbe tuum.

Gregorius à Neidden Francohusanus.

A L I V D.

Regios illi tribuit sacra Pallas honores;
Diua dat huic clarum nomen habere Themis:
Te decorat Phœbus, generosaq; suspicit ausa,
Perducens cupidus ad sua dona manus.
Tædia solliciti pariant tibi nulla labores:
Quo modo cæpisti tramite gnauus eas.
Sic erit, vt venias multis Podaleirius alter,
Et tua perpetuis laudibus acta cluant.

Ioannes Calenus Northusanus.

IN NOMINE DOMINI AMEN

1511

Actum in curia archiepiscopalis Magdeburgensi

die 15 mensis Junii

1511

Presentibus venerabilibus patribus

magistro Johanne de ...

magistro ...

magistro ...

magistro ...

magistro ...

magistro ...

magistro ...

magistro ...

magistro ...

magistro ...

magistro ...

magistro ...

Joannes Cantuar. Venerabilis



78L 1823

ULB Halle

3


004 592 395



5b.







12 3 aa 21

THESES
DE CALIDO IN-
NATO ET SPIRI-
TIBVS.

Quæ sacro iuuante numine in Illuſtri A-
cademia IVLIA disputa-
buntur:

Præſide
IOHANNE VVERNERO Med. Doctore

Reſpondente
THOBIA COBERO.

Anno à Chriſtiparæ virginis partu c15. 15.
xc. viii. Calend. Auguſti.



HELMSTADII
Excudebat Iacobus Lucius. Anno
M. D. XC.

AK

